

**Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotioне boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

Sectio VI. De his quæ semper fieri debent.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](#)

## SECTIO VI.

De his quæ semper fieri debent.

**V**c<sup>e</sup>isque quid singulis diebus hebdomadis, mensibus, & annis fieri debeat, exposuimus; nunc quid semper fieri oporteat, breuius exponamus. Et quidem semper peccata & vitia fugienda sunt, semper virtutes secundæ, semper bonis operibus infistendum, & aduersus diabolū, & eius dolos, decipulandum pugnandum. Atque in quounque tempore ita circumspectè vivendum est, ita cautè & sapienter conuersandum, ut quantum fragilitas nostra permiterit, in nullo nec cogitatione, nec verbo, nec actione peccemus, & per aliquod bonum, quod nos occupet, ad perfectionem curramus. Hic est intellectus illius precepti. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ] ab Augustino signatus: sic enim scribit quodam loco: Cū ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem dereliquerit, qua vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui, sed quidquid aliud diligenter venerit in annum, illuc rapiatur, quod torus dilectionis impetus currit. ] Sed quia generalis doctrina minus utilis est, si in sua latitudine se contineat, & non ad particula-ria descendat, aliqua specialia dicenda sunt, qua semper, & vir Dei, præ oculis habecas, eaque diligenter praestare contendas. Memineris autem te esse Deo, & Prælati, & congregatiōni, in qua viuis, & proximis, & tibi ipsi debitorem: quibus si semper quod suum est, dederis, iustus vocaberis, & iustitia pars exequieris.

## De presentia Dei.

## CAPVT I.

**R**eg A Deum igitur ac Dominum tuum hæc septem, que sequuntur, obseruabis. Audi illum dicentem: Nunquid non cœlum & terram ego impleo? ] ipsumque tuarum cogitationum & desideriorum testem, & tuorum verborum & operum inspectorem aspicio. Ipse te vndequeaque circumdat, & ac si in profundo mari essem, sursum & deorsum, antè & retro, ad dexteram & ad sinistram sua Deitate continet, & intra seipsum ille potens Dominus ac sapiens index delitescit. Hæc ergo cogitatio, quod Deus præstans adest, quod omnia tua interiora ac exteriora perlustrat, nunquam te deserat, & ita tuam vitam ordinis, conuersationem institutas, moralesque componas, vt pro humana fragilitate te a Deo aspici non erubescas. In inicio cuiusque operis Deo illud offeras, in progressu illum intuearis, in fine ipsi placere, & eius gratia finire constitutas. Et si hoc donum fueris afferquis, vt in otio, & in negotio, solus, & alius associatus, scias Dominum altante contemplari, citius quam putas ad magnum virtutum augmentum peruenies.

## De charitate erga Deum.

## CAPVT II.

**D**ilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua: quia hoc est maximum & primum man-

A datum. Dilige eum corde, omnes cogitationes & desideria tua vniuersa in eum dirigens. Dilige opere, mandata eius, & consilia custodiens. Dilige eum vni- cœ, voluntatem tuam ab omnibus rebus creatis avertens. Dilige eum diligenter, omnia, quæ ad eius obsequium pertinent, sedulò perficiens. Dilige eum purè, in nullo temeripsum querens. Dilige eum libere, quæcumque eius amori opponuntur, constanter abiiciens. Dilige eum gratis, ex amore eius nullum emolumētum, nisi eius benefacitum, exigens. Dilige eum fortiter, propter eum mala patiens. Dilige peruerter, nunquam te ab eius obsequio & desiderio diuellens. Hæc præstabis, si eum ut summum bonum, ut ipsam bonitatem, ac ut fontem omnium donorum contempleris. Si etiam hunc amorem quotidie intentis precibus postulaueris: si mundum te, quantum hæc mortalitas fert, & purum ab omni labe custodieris.

## De timore Dei.

## CAPVT III.

**T**ime Dominum Deum tuum, quia Dominus tuus est, & quia ipse dixit: Si ego Dominus, vbi est timor meus? ] Time illum, quia nescis an odio, an amore dignus sis. Time illum, quia postquam occiderit corpus, potest animam mittere in gehennam. Time illum, quia incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inelegibiles via eius, & nescis quid de te futurum sit. Time, non ut seruus emptius, ob penam, sed ut filius carissimus & fidelissimus, ne incurras diuinam offendam. Time, ne ab illo separeris, in quo omne bonum est, & a quo separatus omne malum & omnem miseriariam tibi accersit. Time magna peccata, quia à Deo separant, & tunc quoque leuita peccata, & minimas imperfectiones, quia grauioribus offendis ianuam aperiunt. Time tandem Dominum, quia timor eius initium est omnium bonorum. Nam scriptum est: Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum. ] Inquirentes autem eum per castum & sanctum timorem, non deficient omni bono. Ex hoc timore intima reverentia procedit, qua disces adorare eum, ut decet, in spiritu & veritate.

## De zelo honoris Dei.

## CAPVT IV.

**N**escere zelo honoris Dei tui, qui zelus cor tuum comedat, animam tuam more coniumat. Animaduerte, quia ipse Dominus est sponsus tuus, quem haeretici contemnunt, Iudei subfannant, idololatriæ & infideles ignorant. Eum peccatores innumeris iniurias afficiunt, plurimi iusti ei tepidè & oscitant inferiunt, & perfici nonnullam aliquid faciunt, quo coram eo minus reverenter assistunt. An tu, qui hæc vides, non laborabis pro auertenda iniuria, & curando honore sponsi tui, & pro tantis iniuriis eius nonne intimum dolorem admittes? Hæc igitur sit solicitude tua, gloriam Dei semper quætere, animarum salutem secundum vocationem tuam, & gratiam tibi datam curare, eas orationibus, sacrificiis, bonis exemplis, ac sanctis laboribus iuware, & diuinam gloriam promouere. Obliviscere boni temporalis tui, & quietis tui, honorem tuum contenus, & difficultati occurrit non parcas, ut Domini honore gloriamque promoureas.

De

## De laude Dei.

## CAPVT V.

**E**M PER lauda Dominum Deum tuum, quia non solum dignus est laudari, sed & maior est omni laude. Lauda illum operem, lauda & ore. Optima est operis & virtutis laudatio, ut sicut celi pulchritudine & claritate sua enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius, tot linguis, quot stellis annunciat firmamentum: ita & tu virtute & honestitate, & motum integritatem, Dominum tuum laudes, & alios qui te viderint, ad laudandum Dominum, & benignitatem eius magnificandam induies. Sic luceat lux virtutis tuae, & splendor conuersationis tuae, coram hominibus, ut videntes operam tua bona, glorificent patrem tuum, qui in celis est. Lauda illum & ore, ita scilicet ut laus eius semper in corde tuo inchoetur, & iugiter in ore resonet. Et sicut beata Cæcilia semper Euangeliū Christi gerebat in pectore, & nunquam à colloquio diuinis & oratione vacabat: ita & tu semper Christi mysteria, & Dei tui attributa, & mirabiles perfectiones animo volvas, & oris laudibus efferas. Vniuersæ res creatae illum laudant, & opera eius mirabilia prædicantibus unu ex creaturis Deine otio torpeas, ne ab eius laudibus cesses.

## De gratitudine erga Deum.

## CAPVT VI.

**G**RATIAS Deo continuo age, & semper in gratiarum actione mane. Aequum enim est, ut qui omnibus momentis beneficiis recipis, omnibus etiam si fieri posset, pro eis immensas gratias responderes. Non est momentum, in quo non accipias a Deo esse, vita, sensum & intelligentiam, & omnia alia bona tua naturalia, tu supernaturalia, quae in te sunt. Si ergo quando ab aliquo homine actu beneficium recipis, statim illi gratias agis: ingratis eris Deo, si semper innumerabilia beneficia recipis, & non semper falem desiderio illigatiarum actione respondes. Gratias ages igitur pro rebus prosperis, quia tibi ad solatium datur sunt; & pro aduersis, quia ad correctionem, & augmentum coronæ tua ordinatae sunt. Gratias ages pro donis spiritualibus, quia animam ditant; & pro temporalibus, quia corpus, anima habitaculum, eruant. Gratias ages pro his, quae tibi dantur, quia ad te pertinent, & pro his quae proximis tribuuntur, quoniam ad fratres tuos, quibus charitate iunctus es, pertinet noscuntur. Semper corruum eructet verbum bonum gratiarum actionis, semper os tuum in quoconque successu Deo gratias resonet, ut dum pro continuis beneficiis gratias agis, te ad potiora recipienda disponas.

## De Resignatione in voluntate Dei.

## CAPVT VII.

**R**ELINQUE in manibus Dei tui tua, & te: committe & offer Deo te, & resignate plenè in manibus eius, ut de te ac de rebus tuis faciat, ut placitum fuerit in oculis suis. Dic sepe vocem: Fiat voluntas tua.] Et non mea voluntas, sed tua fiat; sed multo magis beneplacitum Domini tua amplectere voluntate. Nam sepe ore dicimus, Fiat voluntas tua, & proposito ac desiderio voluntati Domini reluctantr. nos verbo offerimus,

Iacob Aluarez operum tom. 2.

A & opere retinemus; sermone donamus, & actione Deo sua volenti accipere, stulte refutimus. Tu non sis, sed scito quia tu non tuus, sed Dei es; tua non tua, sed Dei sunt; ne ergo aliena Domino repugnare contredes, quia furti in die examinis argueris. Esto coram Domino ut tabula penitus munda, in qua possit ipse quidquid voluerit depingere. Esto ut lutum in manu figuli, ut te formet aut frangat, ut efformatum aut in sublimi loco, aut in imo constituat. Respice tua, vitam, salutem, honorem, consolationem, & reliqua quæ possederis, non ut propria, sed ut commoda, & esto paratus ea reddere ei, qui liberaliter commodauit. Ipse diligit te in infinitum, plus quam tu te. Debes ergo te in manu eius resigquare, & paratum offerre, ut in tempore, & æternitate, quidquid voluerit, efficiat.

## De amore Prelatorum.

## CAPVT VIII.

**H**EC, quæ dicta sunt, erga Deum: at erga Prelatos, septem etiam obseruabis. Primo, dilige illos in quibus multas diligendi rationes inuenies. Ipsi enim gerunt in terris vicem Dei, à quo omnis potestas & dominatio descendit, referuntque nobis Christum Iesum, quem in ipsis debes aspicere. Ipsi sunt patres, duces, pastores, magistri, consiliarij, & nullus ferè est, quem diligas, cuius munus non in Prelatis inuenias. Sunt patres, qui nos paterno amore diligunt: Duces, qui verbo & exemplo in cœlum ducunt; pastores, qui doctrina paciunt: magistri, qui ignorantiam nostram remouent & consiliarij, qui in dubiis sanctora propontunt. Ipsi sunt vigilis, qui vigilant super nos, quasi rationem pro animabus nostris reddituri. Ipsi sunt œconomi, qui alimenta, ac vestimenta, & cætera necessaria cum magna caritatis significatione ministrant, & non sine magna solicitudine querunt, ut ministrant. Ipsi deinde sunt capita nostra, & nos quasi membra, à quibus periculum est odio disiungi, aut minima auersione separari. Si hæc in Prelatis consideres, facile magno amore eos amplecteris. Si vero (quod Deus a sanctis congregationibus auertat) Prelatum improbum fortius fueris, in quem hæc proprietates non quadrent, non propterea est à dilectione cessandum, quia eo ipso quod Prelatus est, vicem Christi gerit, cuius auctoritas in malo Prelato non deficit. Et fatis est ut diligatur, quod Christum sumere dilectum repræsentet.

## De Reuerentia erga Prelatos.

## CAPVT IX.

**G**EMPER Prelatos veneraberis, & magno honore ac reuerentia prosequeris. Debetur namque reuerentia Prelationi, eo ipso quod dignitatem habet super alios, & participatio quedam est diuinæ potestatis, quam ille in quosdam contulit, ut contineant multitudines, & ad populos aut congregationum utilitatem gubernent. Hanc autem reuerentiam interius exteriusque prestatibus, Interius quidem, si Prelatos maiores agnoscas, si dignos honore iudices, si eis te animo ac voluntate submittas. Exterius vero, si illis consueta signa reuerentiae ac subiectionis exhibcas, si aperto capite, demissis oculis, demissa voce, & paucis verbis illos allo-

quaris, si coram illis nihil fruolum, aut levitatem præferens dicas aut facias, si absentes honorificē nomines. Etsi quidē nobiles sacerdotes nunquam iudicētes aut senatorēs suos nisi reverenter nominant, & ad propriū suū honorem pertinere iudicant, eos magnificare, & coram illis reverenter se gerere. Quanto magis religiosus putare debet ad suū honorem spectare, si Prælatos suos veneretur, quos Christi loco habet, & in quibus ipsum Christum agnoscit?

#### De obedientia ad Prælatos.

##### CAPVT X.

**S**EMPER Prælati obediās, & non solum opere, sed & voluntate, ac iudicio illis te subiicias, quoties nihil Dei præceptis contrarium inungunt. Obedientia iter est securum in cœlum, quam qui negligit, aut minus diligenter suscipit, ipse se decipit. Cura ut omnia, quæ feceris non tantum communia, verū & specialia quoque virtutis obsequia, Prælaus sciat, prober, & facienda præscribat. Sic tineam propria voluntatis excutes, sic operibus tuis non mediocrem decorum adicies, sic mille aduersarij decipulas & dolos euades. Quidquid Prælaus, aut exp̄s̄e non dictauit, aut si fecerit, gratum non haberet, tanquam germen propriæ voluntatis suspicuum habe. Iam alienus es, eius scilicet, qui factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter te crucifixus est. Ipse te per Prælatos regit, & vult, in his quæ ipsi præcepérint, aut gratum habuerint, à te ipso seruiri. Non tibi ceder in bonum, si te ipsum regas, & ab eius voluntate per superiores demonstrata disiungas.

#### De oratione pro Prælati.

##### CAPVT XI.

**R**ÆLATOS non tantum opere per obedientiam, sed etiam oratione iuuabis. Nam quis non pro suo capite affiduoret, præcipue si illud videat in magno discrimine constitutum? Prælati autem capita nostra sunt, quæ non solā corona spinea curarum cingunt, sed & non modica reddendæ rationis pro animabus nostris pericula circumsepiunt. Ora ergo Dominum pro illis, ut vitam, & salutem corporis habeant, onerisque gubernationis sustineant: ut lux cœlestis ipsi affulgeat, qua in omnibus Dei voluntatem intelligant: suavitatem & efficacitatem accipiāt, quibus optimè subditos sibi commissos regant. Nam hoc est præceptum Pauli, cùm ait: Obscurō primum orationes fieri pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt.]

#### De sustinentia Prælatorum.

##### CAPVT XII.

**P**OTEST euenire ut tibi Prælaus immicerors, aut saltē durus, & insuavis obtinet, qui subditorum infumitibus compatiēt, qui defectus corrigerēt lenitatem spiritus nolit, & qui erga eos qui sibi commissi sunt, non corporis, sed severi iudicis induat. Aliquando enim superiorum electores errant, aut Prælatio animum

A mutat, aut natura aliorum ferrea, licet auxilio gratiæ & virtutis adiuta, nunquam se ex toto ad debitam lenitatem, (qua Prælati est maximè necessaria) reuocat. Hunc ergo Prælatum tu, ô vir Dei, patienter sustinebis, & tua patientia eius duritatem vices, ut magnum ex sustinentia illius, qui te sustinere debuit, luctum reportes. Considera quid mundani in curis principum commorantes ferant, quomodo se pro temporali emolumento ingenio domini superbi & infani, & nunquam sibi neque in minimo imperantis, accommodant. Et pro amore regni celestis tu tantillum saltem patere, & nonnullam suavitatem Prælati tui æquanimiter sustine. Forsan tepiditas tua tanta est, ut non patre, sed trieracho indigetas, & si Prælatum pius, & discretum haberes, in amore virtutis, non cresceres. Cor itaque tuum quibus potueris modis ad amorem huiusmodi Prælati cogere, tèque ipsum ad orandum pro illo, & multo magis ad bene semper loquendum de illo, compelle. Ei te morigerum præbeas, & prompta obedientia & assiduis obsequiis ad lenitatem incitabis, sicut ex ingenio eius ferreo, tu virtutem ferream, id est formem, & mala tolerare scientem, consequeris.

#### De dissimulandis defectibus Prælatorum.

##### CAPVT XIII.

**N**ON detegas defectus Prælati, neque illos exaggeres, sed potius eos benignè & prudenter dissimula, ut apud Dominum veniam & misericordiam tuorum erratorum conseq̄uatis. Prælaus, homo est, non Angelus: non igitur facias miraculum aut portento simile, si aliquos in se defectus neclum emendauerit. Ipse patienter sustinet plutinos defectus omnium subditorum, quid multum si omnes illi pauculos defectus Prælati sustineant? Et si patris, qui te carnaliter genuit, culpas ac defectus celas, cur non potiori ratione patris spiritualis defectus abscondes? Ad ergo Ecclesiasticum super hac re te ipsum admonem: In omni opere & sermone, & patientia honora, (id est, sustine), patrem tuum, ut superueniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in nouissimo maneat.] Et rursus: Ne glorieris in contumelia patris tui, non enim est tibi gloria, eius confusio: gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filii pater sine honore.]

#### De non iudicandis Prælati.

##### CAPVT XIV.

**R**ÆLATOS tuos & ipsorum acta non iudices, siquidem rationes, quibus ad aliquid agendum, aut præcipendum, aut prohibendum mouentur, non agnoscis. Crede mihi, frater, non cogitationes Prælati cogitationes tuae, nec viæ illius viæ tuae. Immo non semel sicut exaltantur eccl. à terra, ita exaltantur cogitationes eius à cogitationibus tuis, & viæ eius à viis tuis. In te ipsum & tua commoda cogitas, ille disciplinam religiosam promouere cogitat: tu tantum terrena curas, ille vero te à terra euellere ac separare, & in cœlum inuehere curat. Ideo videtur tibi scrupulosus & durus exactor, quia à te exigit spiritualem vitam & disciplinæ custodiam, tanquam ille qui propte & omnibus subiectis suis est Deo rationem redit.

1. Timot.  
2. 1.2.

Edd. 3.9.

Ibid. u.  
12.13.

diturus. Munus iudicandi, munus Dei est, munus est maiorum, quibus ille facultatem gubernandi commisisti: si tu nec Deus es, nec Prelato tuo præpositus, quomodo audes illum iudicare, & falcem in alienam messem mittere? Te ipsum potius iudica & reprehende, quod saluberrimum est, & à iudicis aliorum, præserum majorum, abstine, quod frangere periculosisimum est.

### De affectu filij erga religionem.

#### CAPUT XV.

**H**ec erga Prelatos: at erga religionem feterne quoque custodes. Religiosam familiam, ad quam à Domino vocatus es, ut puerum matrem diligas. Id sancte virtus gratitudinis exigit, & profectus tuus, ac ipsius religionis conservatio requirit. Deo te ad vitam religiosam vocanti, & in ea te custodiens, gratus existas necesse est, ne ut ingratueris (quod abominabile & pessimum est vivitum,) aut tanto dono spoliaris, aut illo sine spiritu emolumento fruaris. Gratus autem eris, si hoc eximium beneficium agnoscas, & in magno pretio haberas. Habebis autem, si religionem tuam esse matrem aspicias, quæ te in vtero tyrocinij concepit, in profecione parturitur, lacte doctrinæ nutritum, pane virtutum reficit, in statu honoris constituit, & æternam hereditatem præparauit. Sic etiam mirum in modum proficies, quis dilectio & affectus iste faciet, ut religiosam disciplinam non molestam, sed grata, non grauem, sed suauem existimes, eique te diligenter accommodes. Sic tandem religio per te suum decorum & splendorem non perdet: nam & filij affectus à te postulabit, ut puritatem status tui consulias, & nihil regulæ contraria admittas. Ne putes autem (ut quidam stulte cogitant) hunc filij affectum exigere, ut tuam religionem immoderata laudes, ut eam insipient aliis præferas, ut in publicis confessibus ad primas sedes aspires. Hæc ridicula sunt, quæ stulti faciunt. Sed id exigit affectus filij, ut in omnibus locis bonum exemplum præbeas, ut tui status circumspetionem necessariam custodias, & per humilitatem omnibus te submittas.

### De custodia Regule.

#### CAPUT XVI.

**V**NCE ergo affectum filij habebis, si sex alia, quæ subiungam, obseruantur. Esto igitur custos regulæ & instituti tui, quoniam ista te custodiens, & matrem tuam venerabilem, scilicet Sanctam religionem, indicabiliter exultatione afficit. Mater gaudet, si filios suos valere, & opibus abundare, & apud aliquem Principem in honorabilissimo loco haberi sciat. Regulæ autem custodia salus est animæ, diuinitatæ custodientis, & familiaritatem parat apud Deum obseruantibus illam. Matrem ergo letitia perfundis, cum regulam, ac maiorum scita custodis. Hæc obseruantia te perfectum faciet, te filium honorabilem religionis, & dilectionem constituet, te fratribus amabilem, & Dæmonibus terribilem, & Angelis similem reddet. Quia sicut illorum gloria est Deo parere, ita & tu gloriam existimabis, Deo in his quæ per religiosum institutum statuit, obediens.

### De bono nomine religionis querendo.

#### CAPUT XVII.

**B**ONVM religionis nomen tibi querendum est, ut qui te ab ea beneficia recipis, saltem in hoc eidem proficuus existas. Ita autem hoc bonum nomen, bonamque opinionem in cordibus aliorum seres: si nihil, præfertim coram sæcularibus, indecens indecorumque facias, vel loquaris. Si cum illis agas quantum necessitas, aut prudens charitas postulauerit, & nihil amplius. Si eis quæ domini sunt, nequam detexeris, precipue si minimum quid (ut fieri posset) discordia, aut minoris submissionis contigisset. Si eos intra claustra cœnobij, aut multo minus intra cellam non admiseris. Site libenter semper vixisse, & adhuc vivere sub disciplina religiosa, pronunciaueris. Si erga Dominum, qui te vocavit, animum gratum offendieris. Ac tandem si sæculares in te (quantum fieri possit) virum spiritualem & religiosum videant, & nunquam hominem, id est, te affectibus seruientem, aspiciant. Hæc generaliter sunt, quæ apud alios bonum nomen religionis gignunt & feruant.

### De onore religiosæ disciplinæ ferendo.

#### CAPUT XVIII.

**R**Eligiosa disciplina feruidis suavis & dulcis est super mel & fænum, sed tepidis solet esse amara & onerosa. Non quia ipsa per se aliquid molestiae contineat, sed quod animus agricola palatum corporis praus affectibus infectum habeat. Tu si aliquando tentatione pulsatus molestiam in custodienda disciplina senseris, eam à te abiicere ac removere curato: sicut animam tuam ad disciplinam feruandam & onus ferendum, incitabis. Nemo in republica est, qui non molestiam aliquam patiatur: pauper mendicitate premitur, diues spinis diuitiarum compungitur, ignobiles, vestigalibus & tributis, nobiles bellorum periculis, & duris Principum obsequiis onerantur. Qui aliquid cupiunt, (& quis est in sæculo, si qui vana non cupiat?) ex desideratorum absentia dolore sentiunt. Nullum est munus in hac vita, quod molestiam annexam non habeat, & quo maius est, eo duriori labore subiicitur. Si ergo homines propter bona peritura tot molestias & afflictiones sustinent: satis delictus eris tu, si propter regnum celorum parvam molestiam tuo statui adiunctam non feras. Aequanimitate igitur eam sustinet, & pro ea fugienda nunquam disciplinam deserfas: quia quanto magis laboraueris, tanto in celo maiori præmio perfueris. Et disciplina ipso vsu dulcescit, & omnis molestia expers efficitur: qui vero se non vincit, & propter modicam difficultatem, obseruantiam fugit, maiori quotidie molestia tristatur.

### De religiosis functionibus ritè prestandis.

#### CAPUT XIX.

**R**A, quæ ad religiosam vitam pertinent, cuiusmodi sunt oratio, psalmodia, lectio, meditationis, Missæ celebratio aut auditio, Sacra-

De P.A.  
Toma. I

1043

De adoptione Virtutum,

1044

A  
mentorum vslis, conscientia examinatio, & alia huiusmodi, recte diligentemque prestabis. Nam his bene praefitis, virtutes auges, seruorem prouochis, peccata multa leuia declinas, & quotidie melior ac prius efficeris. His vero male & oscitantes factis, in dies repidatatem fous, & statum animae spiritualem (vt experientia compertum est) nihil promoues. Operibus ipsis, ô frater, Deo ipsi famularis, qui Rex magnus est ac Dominus potens, non decet verò seruum, qui aeternam mercedem à tanto Rege pro suis obsequiis sperat, illi repide oscitantesque seruare. Mater tua religio Sancta in veris & strenuis filiis suis religiosa opera diligenter praefat, ne socordia & negligencia tua illam labores filiorum Domini oferentem, aliquo rubore luffandas. Pudet enim illam imperfecta opera offere, & fructus putridos Domino consecrare.

De bono exemplo fratibus dando.

CAPVT XX.

M N I B Y S tum externis tum domesticis bonum exemplum præbere curato, & sanctitatis odorem spargere, vt bonus Christi odor factus in omni loco eum, non solum tuo, sed omnium ore collaudes. Illum enim ore etiam & corde eorum laudas, quos virtutem puritate ad laudandum inuitas. Hoc autem assequeris, si in bonis operibus, quæ ostenderis, & in circumspetione, quam seruaueris, non tuam, sed Domini laudem gloriamque quequieris. Nihil igitur apud alios facias, ex quo scandalum aut offenditionem accipiant; nihil, ex quo ansam liberiū viuendi capent; nihil, ex quo aliquid contrainstitutum, aut communem viuendi usum introducant. Considera te membrum esse totius religionis, & sicut unum membrum nonnullum incommodum patitur propter bonum totius, ita & tu disce aliqua incommoda dissimilare, in cibo, in potu, in veste, in cella, & aliis similibus, & aliquid penuria & molestia pati, vt sanctam religionem, sicut eam inuenisti, discreta seueritatis amaritatem, & abstinentiam & paupertatis cultricem relinquas.

De rebus temporalibus curandis.

CAPVT XXI.

R E s temporales, vt vestes, libros, & similia, nullas habebis proprias: quia hoc paupertati à te Deo promissa repugnat. Ad vsum vero tibi à religione concessas, non vt proprias (siquidem earum dominium non habes) fēd ut alienas, (vt verè sunt) & mutuū datas accipies. Sicut enim res tibi commodata ab aliquo, & ad vsum pro tempore determinato concessa, ita veteris, vt quam minimum detrimentum accipiat, quo eam possis illæsam restituere: ita & res ecenobij, quæ ad vsum tibi data sunt, diligenter & curiose tractabis, vt multo tempore durent, & si ad aliorum usum deuenerint, sine horrore illis ut possint. Id paupertas, quam professa es, expedit, immo & religiosa virbanitas poscit. Qui enim res sibi ad usum datas incuriosus attinet, & turpat, & insumit, pauper non est, & qui aliorum, qui easdem res postea ad usum vendicabunt, nullam rationem habet, satis inurbanus & incivilius est.

De cogitando Deo in fratibus.

CAPVT XXII.

I  
Is septem erga religionem in qua vivimus, seruandis, breuiter expositis, iam ad quartum septenarium eorum, quæ erga fratres seruanda sunt, accedamus. Ac primò in fratibus tuis non tam hominem quam Deum aspicere & cogitare curato. Deus namque in omnibus rebus, sed præcipue in creatura rationali ac intellectuali, per essentiam, presentiam, & potentiam inhabitat: quare æquum est vt in cunctis rebus, sed præcipue in hominibus, Deum inspiciamus. Sic vt ergo cum regem scis sub cortina latere, non multum de cortina curas, sed regem latenter, & que contuentem consideras: ita cum fratrem vides aut alloqueris, non tam eius aspectum oculis carnis, quam Deum in eo habitantem mentis oculis intuearis. Hoc assequi magnum Dei donum est, quo nec erga iuuentutem & pulchritudinem personarum affectis, neque à senibus, & decrepitis, & agrotis abhorribus, & miram animi puritatem comparabis. Et fieri paulatim in te quidam sublimis spiritus orationis, ac diuinæ familiaritatis, quo in Deum semper affectu eas, & inter homines solum viuas. Et nos scimus, quia multo facilius est hoc scribere, quam actione praestare, sed potens est Deus nostris p̄is conatus pro sua voluntate fauere.

De dilectione fratrum.

CAPVT XXIII.

R E CORDARE præceptum Domini esse. Diliges proximum tuum sive fratrem tuum sicut te ipsum. Quod præceptum illi maximo dilectionis Dei mandato simile dictum est, quoniam & dilectionem præcipit, & Dei causa habendam præcipit, & sua amplitudine omnia mandata comprehendit. Cum scriptum sit, [qui diligit proximum, legem impletuit.] Diliges ergo vero & puro amore fratres tuos, & diliges non propter lucrum, non propter aliquid creatum, sed propter Deum tuum. Hoc autem præstabis, si fratres tuos in corde tuo non contempseris, si non temerè iudicaueris, si eis non oblocutus fueris, si nec verbo nec opere malum intuleris, si pro tua possibiliitate iuuaueris. Denique si illud impleueris; Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.] Et, Pro ut vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Neque erit haec dilectio tibi difficilis, si in fratre Dei fueris contemplatus, si eum à Deo diligis ac in magno pretio haberi cognoueris, si fratrem, id est, Dei filium ac matris Ecclesiae, & ad gloriam destinatum, & tibi utilem esse putaueris.

E  
De affabilitate erga fratres.

CAPVT XXIV.

C ONGREGATIONI pauperum ait Eccl 4:16.  
Ecclesiasticus, affabilem te facio: videtur autem tecum loqui cum propter Christum te pauperum religiosorum congregatiōni sociaueris. His quibuscum viuis quantum charitas & disciplina re-  
ligiosa

*Ecclesiasticus* 6,5.

ligiosa ferunt, te accommodabis, eos comiter allo-  
quētis, rebus licitis & honestis à te postulatis liben-  
ter acquiesces, & nihil in te aut rusticum aut inurbanum,  
aut durum, aut quod iure eos offendat, repe-  
nient. Vita religiosa, vita sanctissima est, pariter &  
iucundissima, atque ex ea parte qua sanctitatem  
amat, honestatem vitæ, & motum querit, ex ea ver-  
qua iucunditatem habet, ab omni vitio infuinitatis  
& rusticitatis abhorret. Memento igitur illius verbi,  
Ecclæsticæ, qui alio loco ait: Verbum dulce mul-  
tiplicat amicos, & mitigat inimicos; & lingua eucha-  
ris in bono homine abundat.] Itaque loquaris, ita  
inter alios conuerteris, vt omnes te diligant, & tuum  
confortium non refugiant.

### De honore fratrum.

#### CAPVT XXV.

**H**ONORE inuicem præuenientes, ] inquit Paulus, fratres ergo tuos ho-  
nore præueni, & reuerentia prosequere.  
Hominis superbi est, signa honoris  
ab aliis expectare, & illos ad honorem  
deferendum paratos non magis præuenire. Huni-  
litas tuam in honmando alios, & non in honorem  
aucupando, monstrabis. Prelatos vt prælatos hono-  
re afficies, æquales vt æquales; minores vt minores, &  
nullus ad te sine honore appropinquabit, aut à te si-  
ne honore transfibit. Quin & Deum in omnibus ha-  
bitantem honorabis, & non vt honoris, sed vt illi  
placeas, & vt suas imagines veneratione prosequar-  
is, fratribus signa honoris exhibebis.

### De defectibus fratrum ferendis.

#### CAPVT XXVI.

**R**ACEPTVM etiam est Pauli: Alter alte-  
rius onera portate, & sic adimplebitis le-  
gem Christi, ] Maiora autem onera nostra  
sunt nostri defectus, quibus aliis nonnunquam  
quasi in tolerabiles reddimur. Defectus igitur,  
& agrestes mores aliquorum fratrum ferendi sunt,  
vt legem charitatis impleamus. Atque ideo tu, ô re-  
ligiole, tuorum fratrum defectus patienter sustine, &  
quod in eis aut exemplo, aut oratione aut lenissimo  
verbo (si prudenter dictauerit esse dicendum) emen-  
dare non potueris, Deo emendandum corrigen-  
dumque committe. Sat scio te multos in tua  
conuersatione defectus vide, quos vis omnino ab aliis  
patienter supportari. Idem itaque tu facias necesse  
est, ne velis, diuerso pondere ac diuersa mensura,  
(quod abominabile est) tua atque aliena metiri. Su-  
stine ut sustenteris, dissimula aliorum leues defectus,  
ut tui magni dissimilentur; tace, vt tui miseria ta-  
ceantur. Absurdum namque est cupere ab omnibus  
sustineri, & nec leuiculas aliorum culpas velle por-  
tare.

### De ope fratribus exhibenda.

#### CAPVT XXVII.

**A**ce vt fratribus tuis sis sis velis, eoque pro  
amore Dei tua industria & viribus adiuvies.  
Iuuia orationibus, pro illis diuinam misericor-

A diam implorans, iuuia Sanctis desideriis fructum la-  
borum ipsorum sive corporalium, sive spiritualium,  
apud Dominum cupiens; iuuia sermonibus cum id  
prudentia dictauerit, attenta personarum qualitate  
ad fructuosè laborandum exhortans: iuuia tandem  
operibus, te ipsum sedulò occupans, & omne otium  
fingens, & exemplo non ad otandum, sed ad labo-  
randum impellens. Cum id disciplina religiosa tule-  
rit, & munus tibi demandatum possibilitatem non  
negaverit, cis, in officiis humilibus laborantibus,  
libenter associa, manus ad aliquid eorum quo agun-  
tur, admoue, te illa ministeria non horrere, neque  
vt seruili contempnere, ipsa actione restare. Magnæ  
adificationes est in cœnobio, cum seniores & lite-  
rati, immo & prælati ipsi interdu ad humilia seruitia  
se dimittunt. Sic enim minores liberti illis seruitiis  
intendunt, iucundiū seruiunt, & manifeste vi-  
dent se non contemni ab his, qui in spiritu humili-  
tatis dignum indicant minores actione iuuare. Nulla  
igitur ratione ab his te ministeriis excuses, sed si  
vnu ex minoribus es, & ex adolescentioribus, mi-  
nora non respucas, si vero maior es, aliquando Chri-  
stum sequens, pro bono exemplo minora suscipias.

### De circumspectione in coniunctu fratrum.

#### CAPVT XXVIII.

**V**AMVIS inter bonos degas, oportet vt  
circumspecte te geras, & licet omnes iuxta  
Domini preceptum, diligas, necesse est, si  
vis proficere, vt non omnes ad familiaritatem admis-  
tas. Si qui inter bonos sunt mali, aut certe discoli,  
imperfecti, detractores, repidi, & libertatis amato-  
res, tu eos non alter quam pestes fugies. Qui teti-  
gerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communica-  
ter superbo, induet superbiam, ] & qui imperfecti  
& discoli sociatus fuerit, multis imperfectiones no  
effugiet. Si qui vero fuerint feruidi atque perfecti,  
hos lectare, horum familiaritatem exquire, vt eorum  
exemplo & communicatione proficias. Qui enim  
timet Deum, æquæ habebit amicitiam bonam, quo-  
niam secundum illum erit amicus illius.] Prudenter  
ergo tibi fugiendi sunt imperfecti, & seculandi perfe-  
cti, ne familiarium virtus foderis, & imperfectioni-  
bus eorum polluaris. Cum nullo quantumvis bono  
nimiam familiaritatem ineas, quæ sine dubio tempus  
insumit, cor distrahit, & alios scientes offendit, sed  
debita moderatione semper condita sit amicitia tua.

*Ecclesiasticus* 13,1.

*Ecclesiasticus* 6,17.

### De amore secreti, & commoratione in cella.

#### CAPVT XXIX.

**A**NDEM septem alia circa te ipsum in-  
tentè custodies. Fuge publicum quantum  
vocationis & statutus tui qualitas tulerit,  
ama secretum, esto assiduus habitor, & diligens  
custos cellæ tuae, quam habitationem, atque custo-  
diam, mille consolationibus, & mille bonorum ope-  
rum fructibus tibi persoluet. Egressere libenter ab  
ea cum obedientia iusterit; læte, cum charitas ex-  
eget; æquanimiter, cum necessitas postulauerit. Si  
vero nihil horum trium te corpore à cella seinxerit,  
tu corpore & mente in ea manebis, & ibi rebus viri-  
libus occupaberis. Ora, palle, lege, scribe, & aliquid

Iacobi Aluarez operum tom.2.

proficuum operare. Erit tibi cella seminarium quietis, locus pacis, radix omnigenae perfectionis. In ea, scientia crescit, virtus augetur, multiplex imperfectionum sensuum, linguae, & cogitationum, vitatur. Qui autem cellam custodire nesciuit, viam spiritus ignorauit.

### De cura modestie.

#### CAPUT XXX.

**N**on omnibus actionibus tuis modestia memori esto, & ita te geras ut non minus ubi quam aliis te aparentibus conculcas. Modestia non tantum virtus est, verum & omnium virtutum ornamentum & vestis, sine qua minima decentes apparent. Illa est quæ apud homines quoque astimationem conciliat: quoniam ex occurso faciei, & ex his quæ exterius vident, solent nostra interiora meriri. Et sicut internæ serenitatis est index, ita solet illam inter turbationis occasiones seruare. Tu igitur tum in serenitate vultus, tum in maturitate incensus, tum in moderatione omnium externarum actionum, modestum te exhibe, ita ut haec exteriora internam tranquillitatem monstrant, omnes adficiant & Christi ipsius imaginem non nullam exhibeant, cuius tam insignis & mirabilis fuit modestia, ut per eam voluerit Paulus Corinthios obtulisti.

2. Cor. 10  
I.

### De contemptu sui.

#### CAPUT XXXI.

**I**scere te ipsum discutere, te ipsum iudicare, tisque increpare, atque contempnere. Utique scientia est icire te ipsum inspicere, quam ipsa rerum & amplius in omnem cœli cognoscere. O quoties haec scientia hominem decepit, ut cum nihil sit, se aliquid esse putaret: scientia autem cognitionis sui semper iniecit fana & vtilia consilia, & ad humilem sui despicienciam adegit. Auertere igitur oculos tuos ab his, quæ in te bona & excella consperxeris, quia aliena sunt, nimitem Dei, qui ea tibi gratis & in te merito attribuit, & solu[n]ea cogites ut pro acceptis gratias referas. Ea vero subinde considera, quæ in te abiecta & despiciabilia deprehenderis, quoniam haec tua sunt & a natura corrupta profecta, & propter illa te ipsum singulis momentis (si fieri possit) argueret & appetaret non desinas. Ea verba in ore tuo sonent, quæ corde conceperant tui ipsius despicienciam exponant. Eadem ab aliis audire desidera, & os peccatoris incepit laudantis non impinguat caput tuum. Fuge hominum plausus, fuge lingua adulantium, fuge læcolum, & eos libenter aufulta, qui sincere veritatem appetiunt, & quod reprehensione dignum viderint, reprehendunt: si te ipsum ita contempseris, & tui contemptores amaueris, Deus te vt pupillam oculi sui diliget, & magnis doceat & charismatibus exornabit: sanctum enim odium quo homo se ipsum odit, Deus suo amore abunde repensat, & in corde eius qui ipsum odio prosequitur, seque ipsum despicit, igne charitatis accendit.

2. Cor. 10  
I.

### De Generali sui abnegatione.

#### CAPUT XXXII.

**V**i vult venire post me, ait æterna veritas, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. ] Haec vox, (semetipsum) non aliquam partem hominis, sed totum hominem abnegandum esse designat. Tuitaque qui Christum sequi, eiusque vestigia inhætere vis, generalem tui ipsius abnegationem suscipio. Mortifica sensus tuos tum internos tum externos, impera appetitus tuis, cohipe iudicium & voluntatem tuam, nihil sit in te quod non mortificatio comprimat, & non castiget abnegationis censura. Præcipue tamen curam habere cohibenda duplices linguae corporis & animæ. Lingua corporis cohibe, ne noxia, ne feculatia, ne inutilia loquaris. Lingua animæ, id est, cogitationem, cohibe, ne inania, ne impura, ne infructuosa cogites. Si has duas bestias, linguam carnis & cogitationem, domueris, mirabiliter te ad diuinam familiaritatem dispones. Nam Deus illos alloqui dignatur, quos viderit à verbis inanibus abstinerere, & suam cogitationem ad unum, quantum valuerint, scilicet ad ipsum Deum, reuocare.

### De Castigatione corporis.

#### CAPUT XXXIII.

**A**STIGMA corpustuum, & hunc seruum emper rebelle flagellis asperitatum esse, ne spiritum deprimat, & ad aliquius malum consensem adducat. Cato concupiscat aduersus spiritum; ne igitur eum deiciat, concupiscat ex aduerso spiritus aduersus carnem, quamque sibi subiungat, & immodicas vires teuii, vigilis, & aliis afflictionibus auferat, ne in detrimentum virtutis insolecat. Bestia non rationibus nec argumentis persuaseret, sed virga percussa, homini patient. Caro autem bestia est, quam nunquam sola consideratione, sine debita castigatione, domueris. Curam etiam assidua mortificationis & abnegationis tui, afflictione carnis ostende. Quia inualetudo corporis, qua in pallore faciei, & imbecillitate non appetet, aut nulla esset, aut satis modica. Et mortificatio interior, quæ (nisi impossibilitas obsteret) ad corporis castigationem non procedit, quod facta sit & ridicula, magnum ex se indicium præbet.

### De Tranquillitate cordis.

#### CAPUT XXXIV.

**A**GRINA cura ac diligentia tranquillati tui cordis stude, nihilque te fecisse existimato, nisi ab eo omnem inquietitudinem ac perturbationem depuleris. Ne te proprij defectus inquieteant, sed itatim atque in aliquam culpam incidentis, eam ex amore Domini detestare, & ad pacem reuertitor, & te tuaque omnia Christo comitte. Ne te aduersa perturbent, sed ea citè transitura cogita, & non sine Domini voluntate ac prouidentia venire confidea. Cordis tranquillitas ex ipsius cordis puritate dependet. Nam culpa licet leues cor lacerant, affectus inordinati discruciant. Negotia prophana, & seculati

cularia discerpunt, & reliqua à nostra vocatione aliena mentem inficiunt. Si ergo vis cor pacatum & tranquillum possidere, cuius etiam levissimas vita, & quas non vitaueris, statim per contritionē abiice, affectus tuos moderate, negotia secularia fuge, & ab omni eo, quod à tua vocatione alienum est, diligenter te subtrahe. Hæc cordis tranquillitatem parvunt, & nos ad Deum in intimo mentis nostræ excipendum, manifestè disponunt.

*De Discretione.*

CAPUT XXXV.

**N**his quæ hactenus dicta sunt, & in certis omnibus, discretione opus est, qua tempora, & loca, te ipsum, & personas, quibuscum agis, statum tuum & modum conuer-

A sandi, & alia similia consideres, & secundum quod ratio, & virtus h̄c & nunc dictat, ita in his quæ occurunt te habeas. Multa sunt quæ Deo dispercent, fratres turbant, & tibi non profunt, quia non sunt discretionis sale condita: eadem verò si discretè fierent, magnum apud Deum & homines splendorem haberent: discretionem quam non habes, supplet obediencia, supplet oratio ac recursus ad Deum, supplet tandem seniorum & prudentium consiliū. Qui enim in dubiis ad Deum recurrerit, & consilio sapientum, ac obedientiæ submisserit, non errabit. Si hæc ad Deum, ad Prælatos, ad religiosam familiam, ad fratres & ad te ipsum obseruaueris, mirum in modum in virtute proficies.

O R A T I O

P R O A D E P T I O N E V I R T U T V M.

**D**OMINE Deus virtutum, cuius est totum quod est optimum, qui seruos tuos insignibus domus tuae, nempe virtutibus fulgere precipis, & desiderium in eorum cordibus tanta pulchritudinis immittis, accende quæsumus in nobis & in uerarum virtutum desideria flamigera, & ad eas precibus & gemitibus postulandas impelle, ut paruitas nostra à te benigno largitore, qui vis rogari, has veras opes, & nunquam interituras, obtineat. Doce nos, Domine virtutum, naturam, ne pro virtutibus virtua queramus. Excita earum amorem, ut non vilia & abiecta, sed cœlestia dona, & te eorum authorem diligamus. Conforta brachium nostrum auxilio gratie tue, ut perfectionis urbem sanctis operibus expugnantes, virtutum professores simus. Sit vita nostra, vita iustorum digna, qua te die nocteque, & omni tempore suspirantes, te ipsum, qui beatitudo ac gloria nostra es, fœliciter consequamur. Amen.

DE RAZ.  
TOM. I

PRO ADEFITIONE VIRTUTUM

QVILL Dicitur ad virtutem quae est deinde etiam de ratione rationis. Quid est ergo deinde rationis? Deinde rationis est ratio rationis. Quod est ratio rationis? Ratio rationis est ratio rationis. Quod est ratio rationis? Ratio rationis est ratio rationis. Quod est ratio rationis? Ratio rationis est ratio rationis.

Dicitur.

CAPIT. XXXI.

Vnde sicut dicitur in libro primo de animalibus. Vnde sicut dicitur in libro primo de animalibus. Vnde sicut dicitur in libro primo de animalibus. Vnde sicut dicitur in libro primo de animalibus.